

24 Obiecties ex D. Thoma in primo suæ physice libro, ait,  
obiectum physiologiae esse ens mobile; ergo falsa conclusio.

Respondeo venerando D. Thomâ, quod si pro ente mobili intel-  
ligit elemēta, admitto eius doctrinâ; si intelligit ut eius sequaces  
intelligunt, iam patet ex dictâ responsio.

## S V B S E C T I O V .

### *Meam de obiecto physice sententiam prefero.*

**E**Vit apud antiquos institutum, & præcipue apud Pythagori-  
cos, lequi magistri sententiam, quod nulti faciunt etiam  
nostrî temporis gratiâ causa; ego numquam contra meos ma-  
gistros egi, quorum doctrinam optimam consideraui semper; at  
quia non amplius in ètate pupillari maneo, pro meo libito in-  
geniolum meum veritati applicare intendo; sit

25 Vnica conclusio. obiectum physice sunt elementa, qua-  
tenus dicunt amicitiam, vel inimicitiam ad inuicem, vel sunt  
in pace, aut odio.

26 Loquor hic de obiecto adæquato in rigore, vtpote con-  
flato ex materiali & formalî, cum omnibus suis partibus.

27 Probo conclusionem ratione vnica fundamentali. illud  
est obiectum alicuius scientiæ adæquatum, ex materiali, & for-  
malî, de quo verificantur omnia prædicata, quæ in illa scientia  
tractantur, & itâ dicta tractantur ab illa scientia, vt sub tali for-  
malitate ab alijs scientijs non considerentur; sed elementa hu-  
iustmodi se habent; ergo &c. elementa prout amicitiam, vel ini-  
micitiam dicunt, vel in pace, aut odio sunt, obiectum adæqua-  
tum in rigore dicenda sunt respectu huius physice scientiæ. ma-  
ior iam firmata fuit a me in logica cum de eius obiecto egi, &  
apud ceteros scribentes non remanet dubiosa; minor, quæ duas  
partes habet, iam nunc probo quo ad primam partem, principia  
namque physicalia, & passiones sunt perfectibile, perfectuum,  
natura, motus, quies, terminus a quo, ad quem, causa, effectus,  
generatio, corruptio, locus, tempus, mistio simplicium, com-  
positum; sed hæc omnia verificantur de elementis modo supra-  
dicto acceptis; ergo elementa prout habent an inuicem amici-  
tiam, vel inimicitiani &c. sunt obiectum adæquatum in rigore  
huius scientiæ physice. quo ad secundam partem etiam patet,